Golio.

Clarissime Goli

(172)

Si de latitudine Byzantina porro molestus Wendelinus est, quâ in re diu petitioni nostrae satisfecisti, scito distulisse me referre homini, quae perscripseras, donec a Legato Hagâ acciperem, quod unâ operâ transmitti posset: Jam cum instet acrius, et in recudendo Lex ~~ita~~ ea versetur cujus, ut opinor, hoc rescripto partem te esse cupit, restituo illi tandem, quod ex fideicommisso hactenus apud me latuit. Tibi autem obiter significo, ne te bis conveniri, qui tam bonum probumque nomen es, aut mireris, aut aegrè feras. utrumque enim possis tuo jure, nisi hâc morae nostrae caussâ cognitâ. Vale Vir doctissime, et me ama, qui te plenissimo affectu. Hagae Com: XVI. Cal: Febr: CIↃIↃCXXXIII.

Wendelino.

(173)

Distuli ad te referre, Vir doctissime, quae a Golio jam nostro, de Latitudine Byzantinâ diu accepi, et sola me responsi spes à Legato detinuit. Illum enim tam seriò ~~inter~~com pellaveram, ut brevi crederem atque eâdem operâ utriusque consilia potestati tuae fieri posse. At enim, quae diebus alibi, aut septimanis, hic mensibus intervalla metimur. Habe ergo in antecessum, quae de re quaesitâ Golius, suo ~~m~~ more, suo candore. Mox ut Byzantii quid allatum fuerit, quod hactenus malè cessatum est, diligentiâ corrigamus. Ignosce tu pro humanitate quae tuâ, et affectu illo, quo me tuum esse fateris distractissimo amicorum. Non est meae sortis, respondere ubique mutuis officiis; non adversus eos quidem, quos cum cultu amo, et cum stupore observo. Inter quos te censeri rogo mi Wendeline et enixè rogo, persuasum habeas quam quod maximé et me ames. Hagae Com: XVI. Cal: Febr: CIↃIↃCXXXIII

Addo libellos duos, et pridem tuos ex legitimo stipulatu. Invenies in illis quod opinionem in te firmet quam de autoribus, sat scio, concepisti Nisi quod pagellas aliquot obscuro nomine meo corruperunt.

De Wilmhio.

(174)

Amplissime Domine Collega, et affinis charissime

Eleganti munusculo me ditasti, et habeo quas olim redditurus sum gratias, si sic rerum tuarum ratio exiget, mearum facultas feret. De Cylindri effectibus